

ARGUMENTUM DECIMUM TERTIUM.

*Veritas Apparitionis comprobatur per miracula, quae
B. M. V. de Guadalupe invocata, Dominus
operatus est.*

Operis ergo pretium est de his miraculis nonnihil, etsi breviter, dicere. Et primo quaedam adducentur testimonia, quae de illis generaliter fidem faciunt: deinde aliqua miracula (brevitati consulendo) narrabuntur.

Sit igitur primum testimonium Bernardi Diaz del Castillo, qui miles affuit debellationi Mexici urbis ab hispanis, et in ea, quam scripsit Historia atque finivit anno 1568, ita loquitur: "Miren la Santa Casa de Nuestra Señora de Guadalupe que está en lo de Tepeaquilla (Tepeyacac) . . . y miren los santos milagros que ha hecho y hace cada día." (1) Notant autem scriptores hunc auctorem nihil pronum fuisse ad mirabilia admittenda: propterea quod testimonium ejus majorem habet vim, dum miracula asserit facta esse B. M. V. de Guadalupe invocata.

Sit secundum testimonium Fr. Ludovici de Cisneros, qui scripsit anno 1616, et ita ait de Imagine B. M. V. de Guadalupe ad Tepeyacatl. "Es una Imagen de gran devocion y concurso, casi desde que se ganó la tierra, que hace y ha hecho muchos milagros." (2)

Tertium sit testimonium ex sexta lectione Matutin in Officio B. M. V. de Guadalupe a SS. D. Benedicto XIV approbato, ubi de Sacra Imagine de Guadalupe, sic dicitur: "Magnifico excepta templo, ingenti colitur populorum ac miraculorum frequentia."

(1) Locum litteraliter adducunt Oquendo, *Disert. histor. sobre la Aparicion*, tom. 2, cap. 7, § 4, núm. 510.—Tornel, *La Aparicion de N. Señora de Guadalupe*, tom. I, c. 13, núm. 215.

(2) Locum litteraliter adducunt Oquendo, *opere tom. et cap. cit.*, § 2, núm. 487.—Tornel ubi supra, núm. 216.

Nunc autem nonnulla mirabilia specialiter referre est opportunum.

Eo ipso die, quo a Rmo. Zumarraga Sacra Imago de Guadalupe in primo Tepeyaquensi Templo collocata fuit, cum indi, solemnitatis causa simulacrum belli fecissent, extra intentionem accidit quod sagitta indum quemdam in collo percussit: atque illum, vel jam vitam exhalantem, vel penitus mortuum, ad Sacram Imaginem detulerunt, Deiparam cum dolore et lacrymis pro illo deprecantes. Indus ergo, qui percusus fuerat, vivus et sanus surrexit. (1)

Equo incedens e Mexico in Tollantzinco iter faciebat juvenis quidam: dum ergo iter faceret, equus freni subjectioni sese subducens, velocissime cucurrit, et juvenem e ephippio ejectum, et pede e scandula suspensum, traxit per solum lapidesque raptatum per spatium leucae circiter dimidia: verum B. M. V. de Guadalupe juvenis invocavit; atque, equo sistente, sanus inventus est. Tam mirabile beneficium pictis coloribus repraesentatum in Templo Tepeyaquensi videbatur adhuc cum scripsit P. Florencia opus cui titulus, *La Estrella del Norte de México*. (2)

Plaga insanabili infirmabatur Fr. Petrus de Valderama, nec aliud agendum medici arbitrabantur nisi pedem illi amputare: ductus autem praedictus Valderrama in Templum Tepeyaquense, Deiparam coram ejus

(1) V. antiqua Narratio Apparitionis mexicanae scripta, et a Lazo de la Vega typ. edita; ubi miracula narrat.—Florencia, *Estrella del Norte de México*, cap. 19, núm. 227. Animadvertendum, miracula B. M. V. de Guadalupe a diversis auctoribus narrari; sed brevitate causa unum aut alterum auctorem citare sufficiat.

(2) Florencia ib. núm. 232 et 233. V. etiam Narratio Mexicana Apparitionis supra cit. ubi de miraculis.

sacra Imagine de Guadalupe invocavit, ta que inde omnino sanus exiit. Pictis coloribus repraesentatum hoc miraculum in Tepeyaquensi Templo videbatur. (1)

Rmus Fr. Thomas de Monterroso, Episcopus Oaxaquensis, praevia doctorum virorum consultatione, miraculose recuperatam declaravit sanitatem cujusdam mulieris infirmae, cui potanda data fuit aqua cum cineribus unius ex linteis, quibus ob reverentiam operiebatur Imago Guadalupensis, facta juxta originalem, in templo in ejus honorem erecto ad illam civitatem; quod linteum ustum fuerat aliqua scintilla emissa ex candelis in Imaginis honorem accensis. Simul etiam miraculum agnoscendum duxit in eo quod illud linteum, quod medium erat, ustum fuerit, illaesis aliis remanentibus, quae ex utroque latere ipsi erant contigui. Rmus Monterroso solemnem gratiarum actionem decrevit, ita ut die duodecima decembris illius anni, qui fuit 1665, in praedicto templo B. M. V. de Guadalupe, ipso Antistite, et Cathedralis Capitulo adstantibus, Missa in ejusdem Virginis honorem solemniter celebraretur, concione habita ad populum. (2)

Rmus. Dr. D. Pantaleon Alvarez, Agelopolitanus Episcopus, praevio juridico processu, in quo, inter alios, tres medici, et chirurgus unus testimonium dedere, miraculosam declaravit sanitatem, quam, cum graviter infirmaretur, statim consecuta est quaedam monialis monasterii Sanctae Catarinae, applicata sibi ad pectus quaedam Imagine B. M. V. de Guadalupe, et ipsa Sanctissima Virgine invocata die 12 Decembris anni 1755. Quidam scriptor, ut de hoc miraculo firmiter adhuc constaret, anno 1883, consuluit de eo peritissimum medicum mexicanum D. Emmanuelem Carmona y Valle, qui diligenter inspecto juridico processu, quem transcriptum apud se

(1) Florentia, Opere cit., cap. 21, núm. 241 et seq.

(2) Florentia ib. cap. 26.

habuit, remque juxta hodiernum scientiae profectum considerans, etiamsi infirmitatem non reputet ex se insanabilem, tamen miraculum dixit quod cum monialis in summam gravitatem devenisset, statim sanitatem recuperavit. Haec omnia fuse tractantur in opere cui titulus, *Santa María de Guadalupe Patrona de los mexicanos*, § XVI, núm. 325 et sequentibus, typ. edit anno 1884 de Ordinarii licentia.

Alia mirabilia narrantur ab auctoribus; (1) sed non necesse est omnia referre: tantummodo nonnihil dicendum de speciali B. M. V. protectione adversus pestem, et pro conservanda apud nos vera religione. Consulto ab Archipraesule Mexiceo Metropolitanano Capitulo super Civitatis (del Ayuntamiento) petitione de eligenda B. M. V. de Guadalupe in Principalem Patronam, quando terribili peste urbs Mexicea vexabatur, anno 1737, inter alia haec in Capituli responsione habentur: "En varias epidemias de los siglos pasados de diez y seis y diez y siete, principalmente en la del fin del año de 96 y principios de 97 . . . despues de varias procesiones generales, rogativas y espirituales remedios, . . . por último refugio se imploró el auxilio de esta Santísima Imagen (de Guadalupe) por un novenario que hicieron los Tribunales, Cabildos y Comunidades, y se experimentó la aplacacion de la Divina Justicia, cesando enteramente la epidemia." (2).

Anno 1544 dira peste paucis diebus plusquam duodecim millia hominum in oppidis circa Mexicum interierunt: religiosi Sancti Francisci de Tlaltelolco processione devotissima ad Tepeyacatl duxerunt plures pueros indos

(1) Videatur inter alios P. Florentia in opere cui titulus *Estrella del Norte de México*, cap. 19 et seq.

(2) Quae ad Archipraesulem respondit Capitulum, integra et ad litteram affert Cabrera, *Escudo de Armas de México*, lib. 3, cap. 8, núm. 534 et sequentibus.

utriusque sexus, sex aut septem annos natos, atque coram Sacra Imagine de Guadalupe Deiparae clementiam pro pestis cessatione impetrarunt: factum est autem ut cum singulis transactis diebus centum circiter quotidie sepelirentur, á die qui a processione immediate secutus est, unus, aut duo, aut tres morerentur, et post paululum pestis cessavit omnino. (1)

Etiam si pluribus orationibus Dominus exoraretur pro cessatione pestis anni 1737, qua in sola urbe Mexici probabiliter velut 40000 obierunt, non ablata fuit illa plaga nisi quando jurejurando B. M. V. de Guadalupe Patrona Principalis Mexici electa fuit, eo proposito ut etiam ab universo regno similiter eligeretur: inquit P. Alegre: "Parece que el Angel exterminador no esperaba mas que esta resolucion para envainar la espada que habia acabado con tantas vidas. Desde que se comenzó á tratar con calor de dicho Patronato, comenzó á disminuir el número de los muertos, que en 25 de Mayo, víspera de la solemne jura, no se enterraron sino tres cádáveres en el Campo santo de S. Lázaro, donde diariamente pasaban antes de cuarenta y cincuenta. El número de difuntos en sola la ciudad de México, debia haber pasado de cuarenta mil." (2)

Quod ad religionem attinet. Unde tam facilis ejus propagatio per mexiceas terras, nisi ex speciali Dei Genitricis protectione? Unde ejus conservatio per tria jam saecula et dimidium, nisi ex ejusdem Sanctissimae Virginis patrocinio? Nam et auro, et argento, et gemis Mexicana regio ditissima est, et quidquid alibi optatis-

(1) Florencia, Estrella del Norte de México, cap. 19, núm. 228.—Narratio mexicana Apparitionis supra cit. ubi miracula narrat.

(2) Historia de la Compañía de Jesus en N. España, lib. 10. Videatur etiam Cabrera, Escudo de Armas de México, lib. 4, cap. 12.

simum putatur, apud nos ex terrae feracitate abundanter et facillime obtinetur: unde mexicanæ divitiæ avidissime ab heterodoxis desiderantur; et nisi speciali Domini cura fuissemus protecti, jam dudum Mexici illud ipsum accidisset, quod miserrime accidit in septemtrionali Americana Republica, quod heterodoxorum inundatio omnium errorum sedem ibi posuit. Verum Dominus defendit nos. Quis autem nisi Virgo Sanctissima hoc speciale patrocinium nobis impetrat? Et etiam ex gratia cœlesti perpetua est in nobis devotio singularis erga B. M. V. cujus festa nobis sunt amabilissima: nec unquam illius caritatis obliti sumus, quam B. V. nobis ostendit cum Tepeyacac apparuit, et suam mirabilem Imaginem in eximiae dilectionis signum nobis reliquit. Merito tam praeclara beneficia Deiparae intercessionem credimus accepta.

Sed ad recentiora veniamus. Notum omnibus est Christi Domini Ecclesiam aliquot ab hinc annis persecutionem pati in Mexicana Republica. Verum ecce: bonis spoliata fuit Ecclesia; sed divinus cultus splendidus semper est: templa non pauca destructa fuere; sed alia multa constructa sunt, et construuntur: Sacerdotes, et saeculares et regulares, vestem propriam portare prohibiti sunt; sed populi erga illos reverentia in nullo minuitur: sacrae virgines ejectae sunt ex monasteriis; sed virtutum exempla in ipsis videre licet: Episcopi exules patriam relinquere coacti fuere; sed multiplicato illorum numero redierunt; atque etiam Seminaria multiplicata sunt: cultum divinum extra templa exercere prohibitum est; at populus ita sacras processiones, et alia ad cultum pertinentia, extra templum fieri desiderat, ut confessus sit ipse ille qui in Supremo Gubernandi Ministerio a Secretis est (el Secretario del Ministerio de Gobernacion) populum illa respuere, quae in legibus cultum illum prohibentibus sancita fuere; et quo modo

sibi licet, mexicanus populus per civitatum et oppidorum publicum ornatum in sacris festis, quae solemniori modo celebrantur in templis, etiam extra templa cultum et honorem Domino exhibet: protestantes, et divitiarum amore, et tolerantiae lege attrahuntur; et licet externa pecunia haereticos mexicanos omni ardore facere laborent, pauculum laborum obtinent fructum. Sed quid plura? Mexicana Respublica veram Religionem firmissime retinet, atque deamat; nec ullis artibus illum amorem e mexicanorum cordibus evellere possibile est. Unde haec omnia nisi ex speciali protectione Sanctissimae Dei Genitricis, cujus devotio mentibus nostris insita est, et cujus festa, atque inter ea, festum B. M. V. de Guadalupe, solemnissime celebrantur?

ARGUMENTUM DECIMUM QUARTUM.

Apparitionis veritas comprobatur ex parvo numero impugnantorum.

Cum ita plurimae usque modo habitae sint conciones de B. M. V. de Guadalupe, ut nec numerari possint, duotantummodo narrantur concionatores, qui a recto traditionis tramite deflexerint, et quidem gravi scandalo fidelium. Primus fuit P. Fr. Franciscus Bustamante, qui cum Mexici concionaretur die 8 Septembris anni 1556, dixisse narratur Imaginem B. M. V. de Guadalupe ab indo quodam pictam fuisse. De dictis a Bustamante inquisivit juridice Rmus Montufar, secundus Archiepiscopus Mexicanus. (1) Secundus concionator qui a traditione Apparitionis recessit, fuit Doctor Fr. Servandus Mier,

(1) V. Opus, cui titulus, Santa María de Guadalupe Patrona de los Mexicanos, XVI, núm, 477 et sequentibus.

die 12 Decembris anni 1794. Hic autem non negavit miraculum Apparitionis, sed illud aliter composuit, scilicet, quod B. M. V. in pallio Sancti Thomae Apostoli, qui his in terris praedicaverit, sese depinxit; eamque esse Imaginem de Guadalupe, quam modo veneramus. Adversus Doctorem Mier juridice egit Rmus Nuñez de Haro, Mexicanus Archiepiscopus. (1) Hic concionator quae praedicaverat, retractavit. (2) At, missus in Hispaniam, litteras scripsit ad Joannem Baptistam Muñoz, non recte sentiens de Apparitione. (3)

Quod ad scriptores attinet, objicitur textus quidam Fr. Bernardini Sahagun, antiqui scriptoris, qui dixit non certo sciri unde orta fuerit fundatio B. M. V. de Guadalupe. Verum gravi ratione textus creditur apocryphus, ut dicetur in solutione objectionum.

Opponitur etiam silentium Fr. Joannis Torquemada, qui in opere, cui titulus, Monarquía Indiana, licet de templo, et de ipsa B. M. V. de Guadalupe aliqua verba faciat, Apparitionem non narrat, etiam occasione sibi oblata, nam vitam scripsit Rmi Zumarraga. Atque etiam objicitur silentium Fr. Ludovici Cisneros, qui de templo quidem, et de Imagine B. M. V. de Guadalupe loquitur, verum non narrat Apparitionem. At vero auctores hoc silentium excusant, ut dicetur in solutione objectionum. Eaque excusatio convenit etiam Fr. Hieronymo Mendietta, etc.

Fr. Augustinus Betancurt, qui chronicam Provinciae Mexicae franciscanorum scripsit, Apparitionem asserit; verum dubitare videtur de eo quod rosae, et flores, quos Joannes Didacus detulit Rmo Zumarraga, fuerint

(1) Oquendo, Disertacion histórica sobre la Aparicion, etc. tom. 2, cap. 9, § 5.

(2) Oquendo, ib.

(3) Ita refertur in opere, cui titulus, Santa María de Guadalupe, Patrona de los Mexicanos, núm, 529.